

particulari eliciendum, postea demum Dei concursus incipit, ac Deus cum homine concurrat ad illud, ad quod voluntas libere se determinavit. Deinde si sæpe dictus Dei concursus generalis homini in agendo aliquam adferret necessitatem, homo impelleretur ad peccata, & sic necessariò peccaret, adeoq; culpa magis in Deum, quàm hominem redundaret, quod vel cogitare planè impium esset. Cõsequenter suapte luce radiat. Erenim quando duæ causæ concurrunt in effectu producendo, quarum altera agat liberè, altera vero necessariò, culpa omnis non in necessariam sed liberam redit. Si E. Deus concurrat cum homine ceu causa libera, ipsique concursu suo in operationibus ejus necessitatem imponit, ut quicquid agit, agat necessariò, utique omnis defectus & mali, si quo effectus hominis laboret, culpa tenebitur. Rem illustro exemplo, quo utitur ipse *Calvinus l. 2. Instit. c. 5.* qui dicit, voluntatem hominis non malè æquiparari posse cum equo, Deum vero cum fessore. Quemadmodum igitur equo, quando instigatur à fessore ad damnum alteri inferendum, culpa non imputatur, nec ea tenetur; sed potius omnis culpa in servum tanquam causam liberam transfertur: Simili modo posito, Deum concursu suo voluntatem hominis movere ipsique in agendo necessitatem adferre, ut quod agit, agat necessariò, culpa non in hominem, ceu causam necessariam & quæ aliter agere non potuerit, sed in Deum tanquam causam liberam, transferenda erit, quod ceu dictum, æquè absurdum ac blasphemum. 3. Si Concursu divino cum causis secundis homini ad actiones suas, quas edit, necessitas imponeretur, consequeretur, eum non majori libertate gaudere, quàm ea quam cum brutis & bestiis cõmunè habet, Consequens est absurdum Ergo & antecedens. Con-

sc.